FACTI ET VERITATIS

Expoſitio & Enarratio contra conſultationem factam à quibuſdam Monachis Cartuſianis domus Aulæ Dei, & Reſponſum Politicum & Morale ipſis redditum à quodam Doctore Regulari. R. P. Abadia Nuncupato ex Ordine Carmelitarum.

IN ſilentio quidem & ſpe eſſe debet fortitudo Cartuſianorum: Hoc enim Prophetæ effatum his maxime convenit qui ſilentij leges in profeſſione Cartuſiana amplexi ſunt, ubi ſilere rebus mundanis & tranſitoriis & ſpem in cæleſtibus ac æternis, fixâ ibi ſemper mentis attentione, collocare profeſſoribus ſuis incumbit; at ſilentio addictis ſuum etiam loquendi tempus aliquando contingit. Id nunc maxime advenit ei qui ſpeculatoris ſuper totum Ordinem Cartuſienſem partes ſuſtinet, dum videt alienos à longe venientes, & ſuis vocibus, ovibus à Deo ſibi commiſſis perniciem inferentes: Verbis enim ad ſuadendum compoſitis impedire attentant, ne ſui legitimi Paſtoris illas requirentis, vocem audiant & ad tritum iter ſuæ profeſſionis per viam pacis illis demonſtratam redeant.

Erraverunt ſiquidem à recta & regia Obedientiæ via quædam oves Gregis Cartuſienſis in domo Aulæ Dei, & vias difficiles ambulare aggreſſæ ſunt, ut novam Statutorum Ordinis Editionem à ſe excuterent, ſed illarum indoles ſatis nota, paterna voce revocata, ab errore facile rediiſſet, niſi obviaſſent & obſtitiſſent, alienorum, quorum non ſunt oves propriæ, obſtinatæ voces & ſuggeſtiones, quibus ad perſeverandum in errore eas impulerunt & adhuc impellunt compoſitis ſermonibus obſtrepentes & obicem ponentes ne errantes illæ oves reducantur. Contra alienos ergo iſtos qui nec caularum noſtrarum uſus, nec Cartuſianarum ovium naturalem paſtum, nec Cartuſianæ ſolitudinis ſemitas bene noverunt verba iſta & reſponſa directè emittuntur, nam oves iſtæ jam decies ad ſe rediiſſent, niſi obſtitiſſet alienorum iſtorum obcæcata prudentia qui involvunt ſententias ſermonibus imperitis, & verba veram diſciplinam Cartuſianam & Monaſticam non ſonantia in publicum proferunt.

Jam in Anathema oblivionis tradita fuerant per Tribunal S. Inquiſitionis propudioſa & injurioſa illa ſcripta effrænatè contra Ordinem ſcripta, cujus authores præ verecundia non nominantur, & meritò credebantur omnia ibi contenta etiam cum parentibus eſſe ſepulta, ſed iterum prodiit aliud ex primorum fragmentis recollectis compactum, ſub alia quidem veſte apparens, (nam conſultationis & reſponſionis politicæ & moralis habitum geſtat,) ſed eundem ſemper tegens animum, ad ſpiritum enim rebellionis ſubditorum contra ſuum Ordinem fovendum & concitandum tendit, ſtylo quidem aliquantulum leniori, ſed non minus nocivo, dum enim illius ſecundi libelli author veritatem rerum aut truncat, aut occultat, aut adulterat ſub paulo urbanio-

tis ſtyli ſpecie, lectori ſuum ſenſum à vero alienum faciliùs inſinuat, & ad dubitandum de Ordinis juſtitia illum impellit; quod ei ſic fauſtè ſucceſſit, ut Doctiſſimos Viros ad approbandum ſuum libellum pellexerit, quem ab ipſis reprobandum fore non dubitamus, ſi hic nudatam aſpicerent veritatem, detractâ veſte quâ illam obvoluit operis author per citationes & diſcurſus quibus veluti foliis ficus conſutis, facit illi perizomata.

Verborum Phaleris aut citationum congerie hic non utimur, ſed nuda tantum ratione; per ſe enim ſtat veritas & ſua nuditate illam adulterare tentantium oculos offuſcat, nudam ergo illam exponimus, ſcriptoris ratiociniis, citationibus & argumentis, & per vera & ſimplicia reſponſa ſuccincta, verborumque ſuperfluitate deſtituta veluti per clypeum, ejus tela repellimus; quæ facilè à cordatis viris in eum retorquebuntur. Id tamen auſpicamur à verbis JESU-CHRISTI Salvatoris noſtri, quæ ad Deum pro illo & ſuis aſſeclis fundimus ex intimis. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Si enim viri tam graves & eruditi ſcirent, quantùm damnum inferunt Pietati & Monaſticæ diſciplinæ Ordinis Cartuſienſis, qui à ſexcentis annis viget in Eccleſiâ Dei, & quantum nocent quibuſdam Monachis, quorum manus per media incautè miniſtrata docent ad prælium contra ſuum Ordinem gerendum, & per indiſcreta conſilia inſtruunt ad totum ſpiritum ſuæ profeſſionis perimendum non tantum in ſeipſis, ſed & in aliis quos ſuo exemplo & eiſdem conſiliis ſuis aſſociare tentant erroribus, flere potius eligerent quàm aliquid dicere. Nunc ad rem veniamus.

IN CONSULTA.

Ibi refertur quædam Ordinatio Capituli generalis Ordinis Cartuſienſis anno 1595. celebrati, & per ſequens Capitulum generale confirmata, & quia iſta Ordinatio eſt veluti Prologus galeatus iſtius libelli de verbo ad verbum hic referenda eſt. [Ut quæ de cætero fiant per Capitulum generale Ordinationes cum majori conſideratione & circunſpectione per Capitulum ſequens confirmentur, vel infirmentur & ſemel confirmatæ ſtabiliùs & efficaciùs obſerventur, monemus & hortamur omnes & ſingulos Priores, & alias perſonas Ordinis ut ſi exiſtimaverint Ordinationem recenter factam eſſe minus utilem, mittant ad Cartuſiam ante ſequens Capitulum in ſcriptis rationes, quibus ad hoc putandum moventur offerendas Diffinitoribus Capituli ſequentis, quatenus ex earum conſideratione, rectius judicium ſuper his fieri poſſit.] Inde concludit author conſultationis, Capitulum generale & R. Patrem Generalem debuiſſe communicare Monachis Cartuſiæ Aulæ Dei, quidquid in nova Editione Statutorum continetur, antequam promulgaretur; & ex hoc defectu juſtas habere cauſas Statuta ipſa repudiandi.

Sed in ipſo limine offendunt iſtius libelli compoſitores, nam ſtatim quòd malâ fide aut ignorantiâ laborent, oſtendunt. Cum idem qui Ordinationem iſtam ex Chartis Capituli Generalis excerpere ſcierunt, potuerint etiam revocationem tum iſtius Ordinationis, tum quarumdam aliarum legere in iiſdem Chartis ſub anno 1597. cum enim experientiâ compertum fuiſſet, iſtam licentiam cauſas turbationis potius produxiſſe quàm utilitatis in quibuſdam inquietis Monachis, qui inde occaſionem ſumebant viſiones proprii ingenii tu-

multuariè proferret, & quod proprio appetitui non ſapiebat accumulatis rationibus [illegible] repudiaret; Capitulum Generale iſtam & alias Ordinationes abrogavit per ſolemne Decretum, quod hucuſque in Ordine firmiter ſervatum eſt. Cujus tenor ſequitur.

Ordinatio Anni 1597.

[Quoniam experientia docente animadvertimus multiplicationem Ordinationum, earum maxime quæ à Capitulo emanarunt poſt novam Collectionem Statutorum, in quibus omnia magis expreſſa & moderata ſunt, venire potius in contemptum, quàm aliquid conferre ad veram reformationem: Ideo omnes Ordinationes poſt dictam novam Collectionem factas revocamus, exceptis iis, quas ad partem Reverendus Pater Cartuſiæ ſingulis Provinciis mittet juxta formam in hoc Capitulo concluſam & præſcriptam, hortantes & obſecrantes Patres in futuris Capituls præfuturos ut à multiplicatione Ordinationum abſtineant, & Reverendo Patri committant, quatenus emergentibus cauſis, quæ aliquid ſtatuendum vel prohibendum in ſingulis Domibus vel Provinciis ſuaſerint, ſtatuat aut prohibeat quod judicabit ſtatuendum, tranſgreſſoreſque curet puniri per Viſitatores, juxta qualitatem culpæ.] Poſtea recenſentur Ordinationes à revocatione exceptæ, quæ ad Feſtorum celebrationem, ad Novitiorum ſedulam Educationem, & Monialium noſtrarum Directionem ſpectant. Illas revolvat Doctiſſimus Conſultor, & videat ſi Ordinatio, à qua thema conſultationis deſumitur, reperiatur.

Everſo fundamento totum ædificium corruat neceſſe eſt. Sed ut veritas & Ordinis æquitas amplius eluceant, demus iſtam Ordinationem adhuc vigere, & videamus ſi ad prætenſum finem conſultationis & reſponſi verè conducat.

Ex iſta Ordinatione duo colliguntur.

Primò. Viam in Ordine tritam eſſe, ut Priores & Monachi in ſimilibus caſibus ſuas difficultates & rationes quibus moventur, exponant reverenter & mittant ad Reverendum Patrem ante Capitulum.

Secundò. Non inde jus dari ſubditis ut veluti armatâ manu aut minis, cogant R. Patrem Generalem & Diffinitores, ad irritandas Capituli Generalis Ordinationes, & obtemperandum illorum ſenſui & voluntati.

Doctiſſimum Reſpondentem latere non poteſt, qualiter ſe geſſerint ſui Conſultores. Numquid recurrerunt ad R. Patrem Generalem aut Capitulum Generale, ut ſuas difficultates exponerent, juxta Ordinationis præſcriptum? Imo nec voluerunt eas aperire R. Patri Generali ſciſcitanti, & eis rationem & ſatiſfactionem de omnibus offerenti; ſed vice verſâ, antequam R. Pater Generalis, vel nuncium recepiſſet de illorum querimoniis, traduxerant ſecretò Ordinem, & Statuta Ordinis ad Tribunalia externa, ad Sereniſſimum Regem Catholicum, ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis, & congeſtis accuſationum & gravaminum myriadibus Ordinem & Superiores diffamare ac totius Hiſpaniæ Cartuſias turbare & invertere ſtuduerant; deinde aſtutis ſuggeſtionibus milleque commentis, aliarum domorum Monachos in ſuum ſenſum trahere & ſubvertere niſi ſunt; quod & eis ſucceſſit in quibuſdam qui eorum globo ſe ſenſim junxerunt. Ad Ordinem ergo & Superiores pro difficultatibus ſuis enodandis non

recurrerunt; ſed depoſitâ omni reverentiâ ſtatim ſic ſe geſſerunt, ac ſi jus habe berent cogendi, tum Superiores, tum cæteros Ordinis Monachos, ad cedendum ſuo ſenſui, & ſibi obtemperandum. Teſtis eſt tota Hiſpania, nullum eos non moviſſe lapidem, ut ſive jure ſive injuriâ, adhibitis tum fautoribus præcipuis, tum libellis famoſis, tum denique conſultationibus juxta placitum compoſitis, & divulgatis ad ſuum intentum perveniant; non curantes de Ordinis qui in Chriſto illos genuit dedecore, aut ejus obſervantiæ in Provinciis Hiſpaniæ ruina, nec de obedientiæ & perfectionis acquirendæ votis, quæ emiſerunt, dummodo faciant & habeant quod volunt.

Inde judicet prudens Lector, ſi ex hoc capite, hæc Chriſti Salvatoris noſtri verba, Conſultoribus iſtis non bene conveniant. *Ex ore tuo te judico.* Si ſic ſuaviter allicit Ordo Cartuſienſis ſuos ſubditos, cur iſtius Ordinationis à vobis allegatæ mentem & præſcriptum non eſtis ſecuti? Cur difficultates veſtras, ſequenti Capitulo non aperuiſtis? Cur interim cum animi reſignatione & modeſtia illius reſponſum non expectaſtis? Cur Doctiſſimus Reſpondens qui iſta novit reſponſum non dedit, & Regulari ſtatui cui addictus eſt, magis conſentaneum, & Cartuſianæ perfectioni magis conveniens?

Exponunt Conſultores præſcriptum eſſe in Statutis ut quater in anno legatur Ordinationes Capituli Generalis, quod fieri prætendunt, ut inde major libertas detur Monachis deliberandi, an conſenſum dare debeant novæ Ordinationi nec ne.

Novum quid infertur auribus noſtris & hucuſque in Ordine inauditum, nec mirum, quia fictitium eſt. Textum Statutorum ad id probandum hic afferamus. [Ordinatione autem, ſeu Conſtitutione per Capitulum facta, quæ non pertinet ad relaxationem rigoris, utimur eodem anno quô facta eſt: ſed niſi per ſequens Capitulum confirmetur, eam amplius non ſervamus.] Et infra n. 32. dicitur. [Ordinationes Capituli Generalis eo anno quô ſunt factæ quater à Vicario legantur in Conventu, videlicet die quâ Charta Capituli recepta legitur, & diebus S. Laurentij, S. Martini, & Purificationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.]

In primo textu videtur, quod obſervantia Ordinationum Capituli ex nulla conditione pendeat, cum ab habentibus legitimam authoritatem procedant, circa ſubditos non liberos, ſed voto obedientiæ aſtrictos, ad quod reddendum ſemper tenentur ſub peccato, quamdiu in materia obediendi non eſt peccatum, & Ordinatio ipſa quâ quid præſcribitur, non ex unius Superioris nutu tantum, ſed per plures qui tunc Capita Ordinis ſunt, cum matura deliberatione ſit facta, ac ferè ſemper apud nos verſetur circa remedium aliquod apponendum inordinationibus aut inordinationum cauſis ſicut evidenter apparebit, Ordinationes novæ Statutorum Editioni adjunctas legenti. Nihil ergo novi continent, cum è converſo ad eradicandas malas interpretationes, aut introductos abuſus evellendos, tendant, quod totum novum dici poteſt, cum obſervantiæ inſtitutæ & firmiter ſervandæ ex humanæ imbecillitatis defectu adveniat.

In ſecundo textu, nihil apparet conforme prætenſioni Conſultorum, ſed id tantum obſervari ſtatuitur in Ordine, ut ipſæ Ordinationes, audientium memoriæ tenaciùs commendentur. ✱

Sed ut ad rem de qua agitur vicinius accedamus: Sciebant omnes Monachi,

aones Visitaonum sicetiam legi jubentur, nunquid id fit vt a Monachis

vtentur aut repudientur? Videantur Statuta ...

consilium Ordinis circa istam novam Statutorum Editionem, & quod ac qu[...] esset viderant expressum in Ordinatione anni 1679. quæ in capite libri nov[...] istius Editionis habetur, & fuit promulgata per Chartas Capituli ubique mi[...] sas per duos annos consequentes, & si totum quod in ista nova Editione corri[...] gi & Typis mandari debebat, non fuit per Chartas Capituli ubique divulga[...] tum, id ex impossibilitate morali processit, sicut à cordatis viris facile conji[...] potest. Res nunquam in Ordine aliter gesta est quando Statuta fuerunt re[...] novata; & nihil in hac nova Editione fuit insertum, quod non fuerit à Visitato[...] ribus Provinciarum, (inter quos Visitatores Hispani suas annotationes & mo[...] nita dederunt,) visum prius & laudatum à Diffinitoribus Capituli, non tantu[...] per duo Capitula examinatum & approbatum, ut Statuta volunt, sed per tri[...] consequentia. Nihil tandem ibi est quod non fuerit publicè lectum in Aul[...] Capituli Generalis in duobus Capitulis coram Prioribus & toto Convent[...] Cartusiæ ibidem astantibus, & avidâ Religiositate omnia audientibus & reci-pientibus.

Judicet ex his prudens Lector quibus fundamentis nitatur ista Consultatio; sed adhuc majora videbit, dum expositos habebit coram se singulos quæstionum articulos, & particulares conquerendi causas istorum Monachorum, contra suum Ordinem, cujus professionis spiritus & anima in duobus consistit: nempe conversione morum cujus votum expressum emittitur, & per consequens ad perfectionem continua aspiratio promittitur, atque obedientiâ in qua res Cartusiani Monachi sic fundatæ sunt, ut in Statutis nostris hæc absolutè proferantur. [Licet enim multa sint & diversa quæ observamus: uno tamen & solo obedientiæ bono cuncta nobis fructuosa futura speramus.] Hæc autem verba præceduntur ab aliis quæ hic etiam afferre lubet. [Si cui nostrûm Prior voluerit injungere, ut plus sibi indulgeat in cibo & somno, & alia qualibet re quàm Statutum decernat, aut è converso si durum & grave aliquid præter Statutum ei imponere voluerit, repugnare fas non habemus: ne cum ei restiterimus non ei, sed Domino, cujus erga nos vices gerit, restitisse inveniamur.] Hinc videant æqui judices quid à Monachis Cartusianis requirat sua professio, ut de Statu causæ de quâ agitur æquius possint ferre judicium, & considerare an gesta in præsenti casu, cum Professione Cartusiana concordent.

IN PRÆAMBULO.

Referuntur ibi quædam verba Ordinationis quæ incipit, *Cupiditatis*, & ponderantur ad lancem rigorosi examinis, ac si crimen esset commissum à Capitulo Generali contra Cartusianos Aulæ Dei Hispanos utendo his verbis. [Cupiditatis occasiones præscindere volentes.... ne progrediatur novarum acquisitionum pruritus.... congerendis nummis inhiare.] Talia enim verba juxta Doctoris Respondentis severas annotationes, honoris Monachorum Cartusianorum offensiva sunt. His tam delicatis annotationibus nullum attexo responsum, cum prudens Lector per se videat, quantum ipse vir Doctissimus, inde satis incautè dehonestet suos Consultores, cum nihil magis indecorum possit esse Monacho, humilitati Christianæ & propriæ abjectionis studio, per Professionem alligato, quàm non posse ferre nec verbulum quod possit

per aliquam glossulam vel imaginariam, suæ propriæ existimationi aut opinioni levissimum halitum inferre; nec posse absque bilis commotione tolerare aliquam expressionem à Capitulo Generali sui Ordinis factam, quâ zelus contra vitandos defectus exeratur, sub prætextu suspicionis de aliquo defectu quo laboret inde nasciturae. Ergo silendum, ergo verbis reverentialibus utendum semper & applaudendum esset in omnibus talibus delicatulis Monachis, qui nec verba ex zelo provocandi eos ad perfectionem quam professi sunt prolata, nec quid tenuem habens umbram correptionis ferre possent. Ergo suggillanda sunt Statuta Cartusiana, quæ similibus verbis ubique utuntur, imo sæpe durioribus ad suscitandum zelum humilitatis, attritionis, vilitatis, paupertatis, abjectionis, (sic enim loquuntur,) & observantiæ regularis in suis subditis. Ergo humilitati Monasticæ nuncius remittendus est, & propriæ opinioni studiosissimè vacandum. Ecce quam delicatam agendi & cogitandi normam videmus istis Monachis Cartusianis per similes consultationes blandè insinuari.

IN DISCURSU SPECIALI.

Adducitur adhuc ad incudem novi examinis Ordinatio Capituli Generalis anni 1679. quæ incipit *Cupiditatis*. & inde arguimur.

Primò. Prohibuisse ne Monasteria nostra liberè acceptarent Dona & Eleemosynas.

Secundò. Statuisse ut si quid superfluum esset, impenderetur in largas Eleemosynas, vel offerretur Capitulo Generali, aut Reverendo Patri.

Publicè notum est in Hispania, & Doctiss. respondentem non latet, ex ista Ordinatione occasionem fuisse assumptam à suis Consultoribus, sub prætextu quod facta esset ex industria ut pecuniæ transferrentur ex Hispania in Galliam; ut sic Ordo posset suspectus reddi Serenissimo Regi Catholico, apud quem secretò erat accusatus, & ad ejus Regium Tribunal traductus, antequam R. P. Generalis sciret, qua de re ageretur. Sed statim atque id rescivit à quibusdam piis viris, misit suas Patentes ad V. P. Priorem Aulæ Dei D. Augustinum Nagore, contra quem sui Monachi aperte rebellare non dissimulaverant; cum mandato pergendi absque mora ad pedes Serenissimi Regis ad offerendam illi declarationem R. P. Generalis, cujus tenorem hic ponere lubet.

Frater Innocentius Prior Cartusiæ, ac totius Ordinis Cartusiensis Minister Generalis, universis præsentes Litteras visuris, aut audituris, salutem & spiritum Christianæ charitatis.

Ad notitiam nostram, non sine ingenti dolore pervenit, à quibusdam quô spiritu ductis, nescio, Deus scit, suggestum fuisse Serenissimo Regi Catholico, atque Majestatis suæ Consiliariis, Capitulum Generale fecisse, & Statutis recenter Typis mandatis quamdam Ordinationem inseruisse, ubi suorum Regnorum juribus aliquo modo derogatur; quod quantum à mente Ordinis, qui à tot seculis sub singulari protectione ac pietate suæ Regiæ Majestatis apricatur, alienum sit, cuique Deum timenti & Christianam pietatem colenti, ex verbis ipsius Ordinationis, ubi de Eleemosynis religiosè faciendis tantum agitur, patebit: sed quibuslibet cæcutire nolentibus, præsentis declarationis serie perspicuum erit: ad quam pleniùs exprimendam & dilucidandam textum ip-

ſius Ordinationis primùm hic de verbo ad verbum transferre congruum judicavimus. Sic ergo jacet in Statutis in fine cap. 21. ubi de numero habitatorum, novis domibus & hoſpitum viaticis & expenſis agitur.

Ordinatio Anni 1679,

[Cupiditatis occaſiones nobis & noſtris poſteris, (ut ſanctæ memoriæ R.P. Guigonis verbis utamur,) quantum Deo juvante poſſumus, præſcindere volentes, ac juxta mentem Ordinis in antiquis Statutis, & tot Capit. Generalium Ordinationibus expreſſam, bonis externis, habitâ temporum ratione, modum ponere cupientes, ne ultra honeſtam ſufficientiam unquam progrediatur novarum acquiſitionum pruritus & libertas, & illud Iſaïæ, væ qui agrum agro copulatis nunquid terram ſoli poſſidebitis; in perſonas Ordinis Cartuſienſis decidat, Statuimus & Ordinamus ne de cætero ulli domui quæ habeat ſufficienter unde honeſtè & pacificè vivat, ex bona & æqua Viſitatorum Provinciæ æſtimatione, novam acquiſitionem cujuſcunque naturæ ſit, ſub quolibet prætextu facere liceat abſque prævio examine Viſitatorum, de ipſius domus indigentia ſcriptis expreſſo, & ſine ſpeciali licentia R. P. aut Capituli Generalis; ſed ſi quæ domus ſuperabundantiam habeat, tùm in largas Eleemoſynas ipſa impendatur, tùm R. P. aut Capit. generali offeratur, ad diſtribuendum parvis aut pauperibus domibus Ordinis, ut illarum inopia per aliarum abundantiam juxta Apoſtolicum præceptum ſuppleatur, habitâ ratione neceſſitatum quarumcunque domorum. Turpe enim eſſe debet Monachis, qui ſua reliquerunt, iterum congerendis nummis & poſſeſſionibus contra mentem Cartuſienſis propoſiti inhiare; nihil autem convenientius eſt Monaſticæ profeſſioni, quæ Chriſtianæ diſciplinæ perfectionem profitetur, quàm ſi ſpeciem in ſe præbeat eximiæ illius charitatis primorum Chriſtianorum, inter quos ex facultatum religioſa communicatione nemo aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. De hujus autem laudabilis Ordinationis obſervantia Viſitatorum & Priorum conſcientiam oneramus, de qua rationem diſtricto Judici reddituri ſunt, ſed ſi in hoc culpabiles fuerint aut remiſſi venient per Capitulum Generale corrigendi.]

Declaramus ergo per verba illa. [Sed ſi quæ domus ſuperabundantiam habeat, tùm in largas Eleemoſynas ipſa impendatur, tùm R. P. aut Capitulo Generali offeratur, ad diſtribuendum parvis aut pauperibus domibus Ordinis, ut illarum inopiâ per aliarum abundantiam juxta Apoſtolicum præceptum ſuppleatur.] Mentem Ordinis & Capituli Generalis nunquam fuiſſe nec eſſe, ut contra jura Regnorum pecuniæ aſportentur extra Provinciam, ſed tantum offerantur verbo aut ſcripto R. P. aut Capitulo Generali, quorum erit aſſignare ultro offerentibus, quid & quantum dare debeant parvis domibus, aut aliis indigentibus ejuſddem Regni: ſicuti nuper accidit domui de Aniago ad cujus cladem ſublevandam ſcripſimus domibus de Covis & de Xeritio, & illæ charitativè & laudabiliter ſubvenerunt Fratrum ſuorum incommodis. Omnium tandem bonorum & pietatis amatorum conſcientiam obteſtamur, per charitatem Chriſti, ut judicent, ſi in iſta Ordinatione reperiatur aliquid Monaſticæ profeſſioni non conveniens, aut Cartuſianæ profeſſioni nòn conſonum, quæ nihil

antiquius & magis commendatum habet, quam abrenunciationem cupiditatis, quæ radix omnium malorum est, & charitatem fraternam factis exhibitam; ut videre est passim in Statutis nostri Ordinis. Attendant quæso in ista Ordinatione quoad illam partem quæ communicationem facultatum indicat; nullum verbum præceptivum positum esse, sed paternam tantum monitionem ibi reperiri eo stylo expressam, qui Capitulis Generalibus & Superioribus aliquid mandantibus tritus & usitatus est, & omnibus bene consideratis, zelo ut speramus, zelabuntur ad protegendam & defendendam Ordinis innocentiam, contra illos qui subdolis suggestionibus, ad potestates seculares transmissis, conati sunt illius pacem & profectum spiritualem interturbare. Commendamus tandem V. P. Priori domus Aulæ Dei, ut si opus sit, ad Serenissimum Regem Catholicum se conferat, & à sua Majestate Serenissima pro me postulet rem unicam, quam eò fiducius ab ea mihi fore concedendam spero, quò certius novi illius pietatem egregiam, ad Ordinis Cartusiensis propositum in suis Regnis illibatè servandum, esse propensam. Res autem illa est, ut sua Majestas dignetur designare nobis in sua Aula Regia Commissarios Monasticæ professionis & disciplinæ gnaros, ad quos nobis liceat mittere nostros à Capitulo Generali deputatos Legatos, qui coram eis rationem reddent, si Majestati suæ ita placuerit, non tantum de ista Ordinatione, sed etiam de quibuscunque aliis, quæ in nova Statutorum Editione occurrere poterunt, ut vel sic suæ Regiæ Majestati innotescat, quanti Ordo Cartusiensis æstimet, Serenissimi Regis satisfactionem & Regiæ illius protectionis conservationem. In quorum omnium fidem subscipsimus, & sigillum consuetum Ordinis, his apponi jussimus hac 19. Martij 1682.

Quibus visis & in suo Regio consilio de Statu examinatis, Serenissimus Rex accepit satisfactionem, & in hoc casu magnificè demonstravit, quàm religiosè nosset monastica & politica jura simul concordare, & in omnibus pietati favere. Sed ut abundantiùs occasio obloquendi omnibus adimeretur, facta fuit Ordinatio in Capitulo Generali anni 1682. & in singulis domibus Hispaniæ promulgata, cujus tenor sequitur.

Ordinatio Anni 1682.

[Ne ulli unquam pateat locus interpretandi contra mentem Ordinis Ordinationem anni 1679. quæ incipit *Cupiditatis occasiones, &c.* additam cap. 21. 2. part. Statutorum; declaramus per verba illa (si quæ domus superabundantiam habeat, tum in largas Eleemosynas ipsa impendatur, tum R. P. aut Cap. Generali offeratur ad distribuendum parvis aut pauperibus domibus Ordinis, ut illarum inopia per aliarum abundantiam, juxta Apostolicum præceptum suppleatur) mentem Ordinis & Capituli Generalis nunquam fuisse nec esse, ut contra jura Regnorum pecuniæ asportentur extra Provinciam; sed tantum suadere ut offerantur verbo aut scripto Capitulo Generali aut R. P. quorum erit assignare ultro offerentibus, quid & quantum dari debeat, compensatâ necessitatum ratione, parvis domibus, aut aliis indigentibus ejusdem Regni.]

Ad disputationes super hac Ordinatione contextas ita brevissimè respondetur.

Primò. Ex Declarationibus authenticis supra relatis, cuilibet cæcutire no-

lenti, evidens est, quantum à veritate & charitate aberraret prætextus ille su
quo Ordo traductus est ad Tribunal Regium.

Secundò. Si voluisset Doctiss. Respondens legere textum Statutorum prou
nunc jacet, ibi vidisset. [Quod datur alicui Priori domorum Ordinis, vel Re
ctori, vel etiam Vicario Monialium, acquiritur domui cui noscitur præsidere
nisi constaret evidenter, quod non in gratiam & intuitum domus illius cui præ
sidet vel officij aut personæ ipsius, sed magis favore domus suæ professioni
conferretur; quia tunc tale donum ad domum dictæ suæ professionis pertine
bit, & quando aliquod dubium ex præmissis oriretur judicium sive determi
natio reservetur R. Patri Cartusiæ, sive Capitulo Generali.]

[Si verò alicui ex personis prædictis aliquid datum, vel oblatum fuerit, i
eo nullum jus, aut proprietatem prætendere debet: licet ex permissu præsiden
tis ad simplicem usum, ad nutum ejus revocabilem, illud possit apud se custo
dire, & eo uti, pecuniis exceptis. Quòd si quis contentiosè illud tanquam suum
retinere voluerit, ab eo auferatur: & ad communem usum deputetur.]

[Si quid datum fuerit Monachis vel Conversis, qui in alienis domibus quâ
cunque occasione commorantur, acquiritur domui professionis eorum: nisi
expresè in favorem domus in qua hospitantur, id eis datum fuerit. Verumta-
men exeuntes inde, nullatenus debent illud asportare sine licentia Prioris: qui
sicut viderit magis expedire, aut per illos, aut per alium fidelem nuntium resti
tuet illud domui professionis eorum.]

Ex his evidens est, nunquam venisse in mentem Superiorum dum ista Ordi
natio facta fuit, ut dona, legata & aliæ similes acquisitiones passivæ prohibe
rentur; sed tantum ut activæ ad certas conditiones redigerentur; ut sic antiqu
propositi Cartusiensis usus, qui videri potest in antiquis Statutis Ordinis, à cu-
piditatis damnis vindicaretur, & Religiosus modus, pruritui acquirendi im-
poneretur; si enim aliud intentum habuisset Capitulum Generale, textus istos
correxisset veluti suæ Ordinationi contrarios.

Tertiò. Cordatis viris sufficit textum ipsius Ordinationis ob illorum ocu-
los posuisse, qui vix poterunt à stomachi motu abstinere, dum viderint Doc-
torem Regularem & Monachos in Reverendum Patrem Generalem invehi
eò quòd zelosam commendationem Eleemosynarum fecerit, & commu-
nicationem facultatum suarum ad invicem suaserit. Et tandem dum
notaverint in ista Ordinatione nullum præceptum apponi, sed tantum
rem exprimi per verba authoritati Capituli Generalis convenientia, facilè sibi
persuadebunt, ex istis simul junctis, Authores istius Consultationis, monstra
quædam sibi voluisse componere, ut cum illis acriter pugnarent, & talia fuisse
ex industria ab ipsis contexta, & in publicum prolata: ut Ordinem Cartusien-
sem odiosum reddere conarentur, & sic adversus illum non tantum rebella-
rent, sed & desævirent.

Nunc judicet prudens Lector, ad quid tot allegata, tot disceptationes ver-
borum, tot jura citata, ubi nulla est quæstio? *Vt quid perditio hæc*? Sed in fi-
ne istius primi congressus, Author operis justam dat causam dubitandi de illius
mente, an bona sit. Nam longè à sequendo Christi præcepto, de temerario
judicio contra proximum cavendo, apertas declarationes Capituli Generalis
animo decipiendi imputare perseverat, quod ut ei felicius succedat, depra-

tat verba Ordinationis, legendo *In largas Eleemosynas vel offerantur Capitulo Generali* cùm textus habeat, *Tùm in largas Eleemosynas impendatur tùm R. Patri, aut Capit. Generali offeratur,* quibus verbis utrumque simul commendatur, quod salvâ scribentis Reverentiâ potest attribui propensioni pravè de proximo suo judicandi, imò de corpore integro Ordinis cujus minima membra sunt Monachi illi quibus dat consilium. Quid ergo valeat similis Consultatio ad perfectionem Monasticam insinuandam & promovendam in Consultoribus? Judicet æquus & pius Lector.

IN DISCURSU TERTIO ET IN QUARTO
ubi agitur de recursu ad suam Sanctitatem.

Querimoniæ Consultorum videbantur tantum versari circa novam Editionem Statutorum, sed ex statim sequentibus apparebit, quod sub hoc prætextu velint etiam priora Statuta impugnare, & eâ occasione uti, ad removendum à se quidquid suo gustui non sapit; nam Doctissimus Respondens hic citat textum priorum Statutorum quæ aperte expugnat.

Citat primò n. 20. cap. 7. 2. part. Statut. [Præterea personæ Ordinis nostri, ex indulto Domini Martini Papæ quinti, possunt in mortis articulo eligere sibi Confessarium qui omnium peccatorum de quibus contriti sunt & confessi, potest eis dare plenam remissionem, dum tamen ex confidentia inde assumpta non reddantur procliviores ad peccandum. Nullus igitur facultates alias super hoc impetret, qui contra fecerit ad Ordinis voluntatem puniatur.]

Ad quod Respondetur. Id esse repositum in nova Editione Statutorum sicut erat in prima, & meritò, cùm nihil ibi reperiatur quod politiæ Cartusianæ & Solitariorum Statui non bene conveniat: molestissimum enim esset S.S. Apostolicæ, & Statui Solitariorum omninò oppositum, si indiscretè sinerentur omnes & quilibet subditi, novas quotidie petitiones ad Summum Pontificem destinare & postulare quod jam habemus in Ordine, hac de causa punitio præscribitur, quæ ut ex textu evidens est, refertur ad indiscrete petentem novas facultates, cùm illas jam habeamus. Hoc Statuto coercetur Solitarius ne novitatum desiderio & meditatione in mentis dissipationem decidat, quæ myriadibus cogitationum à tentante diabolo divexata, uni necessario vacare dedisceret. Sed nihil ibi exprimitur quô Apostolicæ authoritati derogetur.

Citat n. 9. cap. 23. 2. part. Statut. [Porro nullus appellet nisi ad R. Patrem, aut Capit. Generale, & si fuerit pronunciatum ipsam appellationem injustam fuisse, is qui sic appellavit graviter puniatur.]

Solâ carpendi ratione hæc prolata esse cordatis Lectoribus videbuntur. Exprimitur enim ibi Cursus ordinarius appellationum, ut ab inferioribus judicibus ad Superiores; & imponitur modus ne sub prætextu appellationum justitia Monastica & disciplina eluderetur.

Nunquid vult Doctus Commentator ut passim & indifferenter Monachi possint ad Tribunalia externa appellare, aut suum Ordinem provocare proüt ejus Consultores fecerunt? Nihil ibi de S. Sede Apostolica dicitur. Quidquid ergo inde colligit ad hoc tantum utile est, ad amplius depravandum Consu-

lentium animum dum illis insinuat quod nec fortè in mentem veniret u
obstinatiùs in suo proposito perseverent; & per novos prætextus insinuato
ampliùs incitentur; ex sequenti autem citatione prudenti Lectori patebit a
bene fundata sit hæc nostra opinio.

Citat n. 9. cap. 25. ejusdem secundæ partis Statutorum. [Ex indulto Domin Clementis Papæ IV. Domus majoris Cartusiæ, & S. Bartholomæi de Trisulto possunt Domino Papæ pro se, aliisve quibuslibet, quacunque ex causa scribere: sed nemo potest sine licentia R. Patris, aut Capituli Generalis ipsam Curiam adire. Quod si aliqua Ordinis persona hæc, aut aliquid horum facere præsumpserit, incarceretur, & pro modo culpæ puniatur. Reverendus tamen Pater Prior domus Cartusiæ authoritate Capituli Generalis prædictam licentiam dare poterit super annum, occurrente magna necessitate. Quòd si sine prædicta licentia Capituli Generalis, vel R. Patris, per se, aut quamvis aliam personam, licentias seu dispensationes aliquas contra Observantiam & Statuta Ordinis à Sede Apostolica, vel Legatis ejusdem, impetrare quis præsumpserit: impetratis omninò careat, quia subreptitia sunt, cùm inauditis partibus S. S. Apostolica non intendat talia quæ in ruinam disciplinæ Regularis vergunt, attentari: sicut variis testimoniis scriptis, & vivæ vocis Summorum Pontificum Oraculis, quæ in Ordine servantur, potest probari. Et si eis usus fuerit, sit perpetuò inhabilis ad quascunque Obedientias Ordinis: & si Obedientiam aliquam tunc habuerit, eâ privetur. Nam dignum est, ut qui ab Obedientia aut Observantia Regulari Ordinis talibus mediis subreptitiis recedere nititur: ab omni Obedientia spolietur.]

Majusculis characteribus ibi notat hæc verba. (Quòd si aliqua Ordinis persona hæc, aut aliquid horum facere præsumpserit.) Ad hoc respondetur.

Primò. Textum antiquorum Statutorum intactum reliquimus in prima hujus articuli parte ubi fit mentio de illo indulto, quia revera concessum fuit, adhuc extat Diploma Apostolicum, & illius memoriam abolere noluimus.

Secundò. Correximus verba quædam, quæ ex speciali Cardinalis Farnesij mandato ex parte S. D. N. Pauli Papæ quinti Ordini facto emendari jussa erant.

Tertiò. Decies jam monuimus verba ista (aut aliquid horum) esse mendum Typographicum, & certè benè sapere volenti hoc monito opus non esset, quia satis videret per se, hæc verba redundare, nullumque sensum habere, cùm nihil illa præcedat ad quod possint referri.

Quartò. Per Ordinationem Capituli generalis anni 1682. satis expressè declaratum est, mentem nostram numquam fuisse ut aliquod præjudicium inferretur mandato ex parte S. D. N. Pauli Papæ quinti nobis facto cum suis moderationibus. Ordinationis istius tenor talis est.

Ordinatio anni 1682.

[Ex correctione n. 9. cap. 25. 2. part. Statutorum facta per nos in secunda Editione illorum nuper divulgata, rectè & Religiosè sapere volenti, apparere potest quod omnimodam submissionem S. S. Apostolicæ debitam red-

re semper simus parati; sed ut occasio tollatur totaliter his qui mordere po-
is quærunt quàm Religiosè sapere : declaramus mentem Ordinis nunquam
isse nec esse, ut aliquid detrahatur mandato S. D. N. Pauli Papæ quinti jam
im Visitatoribus Provinciarum significato cum moderationibus ab eodem
mmo Pontifice factis, & in Capitulo Generali anni 1670. publicatis, &
ostea ad prædictos Visitatores Provinciarum directis.]

His ita in euidenti positis, quis non obstupescat, videndo adhuc oblatratus ontra Ordinem continuari, ac si nihil actum? Quis meræ malitiæ & oblo-iendi atque nocendi aut diffamandi animo id non imputaret, si non ex cha-tate libertatem sinistrè judicandi de proximo in se temperaret, quâ usi sunt tius consultationis authores? sed timeo ne apud Deum portent judicium uicumque sunt illi, pro damnis spiritualibus quæ inferunt istis Monachis, uos in novas & graviores tentationes sic inducunt contra Statum & piritum suæ professionis, à quibus illos omninò retrahere, talibus mediis aborant.

Citat tandem n. 37. cap. 25. secundæ partis Statutorum [Omnibus personis)rdinis nostri omninò inhibemus, eos per obedientiæ votum obtestantes, ne d Reges, Principes, vel alias Potestates utriusque Status, ullâ unquam occa-one recurrere, aut confugere audeant: exceptis Integerrimis Dominis Inqui-toribus in negotio fidei duntaxat, cùm, Deo gratias, Ordo noster sibi sufficiat, uisque gaudeat legitimis: jurisdictione competenti & summorum Pontificum ndultis abundè provisus. Quòd si qui contumaces fuerint, & ad alias confu-erint Jurisdictiones, aut Potestates, tanquam Ordinis desertores pænâ Crimi-osorum puniantur.]

Hic colophon additur præcedentibus disputationibus, cui ista obiicimus.

Si in hoc Statuto excipitur Tribunal S. Inquisitionis profectò exceptam sse etiam S. S. Apostolicam interpretari debuisset Doctissim. Respondens; sed erba quibus Ordo ibi exprimit sibi sufficienter provisum esse summorum Pontificum indultis, omnibus cæcutire nolentibus exhibent, Ordinem ex-presse agnoscere quòd quidquid habet à S. S. Apostolica procedat, & ab ea lependeat.

Tale Statutum non tantùm reperitur in Ordine editum ab antiquis, sed etiam in constitutionibus omnium fere Regularium & meritò. Quid enim de Statu Monastico fieret, si indifferenter liberum esset his, qui illum amplexi unt, recurrere ad Tribunalia extranea pro prætenso gravamine alicujus obe-dientiæ aut Monasticæ correctionis aut alicujus mortificationis? Esset profecto intolerabilis confusio, & æquè nociva, ac si filiis aut scholaribus daretur li-bertas conveniendi suos parentes aut Pædagogos coram judicibus, quando voluerint illis dare disciplinam, verbis corripere, aut aliis mediis castigare, & certè si defæcato oculo vellet Doctus Respondens hunc casum ejusque conse-quentias & damna considerare, statim illum propria condemnaret conscientia, & fateri cogeretur illud Statutum non tantum justum esse; sed etiam absolu-tè necessarium: mirum autem est, cur de casibus violentiæ quæstiones agitet, qui nec verbum minus honorificum potest ferre, in quo loco & quibus ver-

bis potuisset non dico prudenter, sed saltem cum aliqua ratione ista express reponi.

Ex his ampliùs convincetur cordatus Lector, Respondentis scriptum ad nih aliud prodesse quàm ad ampliùs depravandos Consulentium animos ac restan tes scintillas spiritus Monastici & Cartusiani penitùs extinguendas. Quàm be la ergo occupatio Doctoris Regularis qui in quarto discursu tractare quiden studet quæstiones in ordine ad conscientiæ obligationes, & responsum suu titulo politiæ & moralitatis inscribit, at ex hac simplici veritatis expositior pio Lectori pervium erit, conscientiæ nomen ibi in vanum assumi, ubi de mer rebellione agitur, quæ conscientiæ rectæ adversatur, responsumque illud, ne politicum esse, quia ad Cartusiani instituti eversionem tendit, nec etiam moral quia ad relaxationem disciplinæ Monasticæ apertè tendit.

IN DISCURSU QUINTO AGITUR
De Electione & Archiviariis sive Arcariis.

Citat notam n. 32. cap. 2. secundæ partis Statutorum appositam [A soli Confirmatoribus debent videri & legi vota Eligentium, ut secretum in hoc servari mandatum sess. 25 cap. 6. Concil. Trid. convenienter observetur]

Ad contextas ibi disputationes confundendas hæc tantummodo res pondemus.

Primò. Ibi agitur de nota marginali textui Statutorum apposita, u errandi occasio tollatur, ipseque textus iisdem verbis jacet quibus priùs.

Secundò. Decies fuit oblatum adversariis, ut si quid esset declarandum aut corrigendum in ista nota, id libentissimè fieret, postquam sequentibus alle gatis conveniens & solide fundatum dederint responsum. Horum autem te nor sequitur.

Capitulum. Quia propter, &c. Extra de electione, spectat tantùm Episcopatus & alias Dignitates Titulares. In isto capitulo nulla fit mentio Præsidentium vel Confirmatorum præsentium electioni.

Neque etiam fit mentio de tertio aut quarto scrutinio iterando, sicut Statutum nostrum permittit.

Per Concilium Tridentintum strictissimè commendatur secretum suffragiorum.

Ex eodem Concilio apparet, jus Electionum Monasticarum differre ab eo quod servatur in Electionibus Beneficiorum Titularium; nam Episcopus solus præsidet electionibus Monasteriorum Monialium & est solus Scrutator.

His ita suppositis, Dicimus.

Primò. Quod Confirmatores apud nos, sunt Scrutatores deputati per Statuta nostra, qui idem Officium agunt in hoc casu apud nos, quod Episcopus solus facit in electionibus Monialium.

Secundò. Quod illi tres ex Antiquioribus qui assistunt electioni & sunt de gremio Conventus, sunt tantum quasi inspectores; quod Statutum satis indicat his verbis: (& omnia diligenter fieri videant.) Non possunt verè dici Scrutatores cum non sint à Conventualib. electi, ut habetur in dicto cap. Quia prop-

, &c. sed sunt quodammodo à Statuto designati & electi per confirma-
tes.

Tertiò. Quod supposito usu, qui est in Ordine nostro de repetendis pluries
fragiis, electio non esset ampliùs secreta, si vota Eligentium ostenderentur
s tribus, qui Confirmatoribus adjuncti sunt, nam cum sint de gremio Con-
ntus, possent facile agnoscere scripturam Votantium, sicque talem habere
r signa aliqua cum Electoribus communicationem, ut in secundo vel tertio
utinio, electio, in eum, quem vellent, caderet, atque adeo finis Secreti
ctionum (qui est ut fiant per quamdam sortem à Divina Providentia dire-
im) eluderetur. Adde quod sic via aperiretur mille suspicionibus, aversió-
bus, &c.

Quarto. Quod in domibus ubi sunt tantum quatuor aut quinque Reli-
osi, ejusmodi electio non posset esse secreta; cum essent ibi tres, qui viderent
ffragia, & inde in repetitione suffragiorum, electionem ad suum libitum fa-
rent.

Hinc apparet quod jus electionis in Ordine nostro est singulare, neque
enam convenientiam habet cum cap. Quia propter, &c. nam si tres Assisten-
s essent Scrutatores, ad mentem illius Canonis non deberent iterari scruti-
a, jure enim Canonico communi, non permittitur iteratio scrutiniorum,
iò Scrutatores suffragium semel ab ipsis datum, non possunt ampliùs mutare,
notandum est quod in veteribus Statutis ubi fit mentio de illa Decretali nul-
datur iteratio suffragiorum.

Quod vero jus Monasticum quoad electiones differat à jure Canonico,
oncilium Tridentinum satis indicat, dùm in decretis de Regularibus singula-
m de electionibus ab ipsis faciendis fecit mentionem, & nihil statuit nec
ixit circa alias electiones Ecclesiasticas. Adde quod in suis decretis circa
ectiones Regularium, nullam de hoc cap. Quia propter fecit mentio-
em.

Obiicies: Duo Confirmatores poterunt declarare Priorem quem voluerint;
iffragia Eligentium ipsis solis cognita, cui illis placuerit, assignando.

R. 1. Istud incommodum justum haberet fundamentum, si in actibus humanis
dhuc majoris momenti necesse non esset, in mille casibus, bonæ hominum fi-
dei se committere.

2. In Confirmatores (qui ut plurimum sunt Visitatores aut Priores, atque adeo
viri probi suis commodis non servientes, & charactere authoritatis Ordinis in-
igniti) non potest moraliter loquendo, suspicio ejusmodi iniquitatis cadere.
& posito quod vellent illam injustitiam perpetrare, fieri vix posset, ut in sua
gendi ratione vel scribendo, vel delendo, vel aliud hujuscemodi ad suum fi-
iem faciendo, ab Assistentibus sibi non deprehenderentur. Et saltem ad sum-
num in hoc casu deceptio fieri tantum posset circa aliquem qui plura vota
iabuisset in ipso scrutinio.

Tum demum stando Ordinationi ipsius Concilij, quâ præscribitur, ut no-
mina Eligentium numquam publicentur, & jungendo ea quæ in Cap. Quia
propter decernuntur, Scrutatores qui de gremio Conventus nominarentur,
faciliùs ejus fraudis & deceptionis essent capaces, quam Scrutatores extranei,

id est qui non sunt de gremio Conventus Eligentis, ut cordatis viris pervium est.

Inde ergo censemus, 1. Confirmatores reputari debere apud nos, ut Scrutatores electos authoritate Ordinis.

2. Tres verò Assistentes nominatos haberi veluti Inspectores constitutos ad videndum, si omnia fiant ad formam Statuti.

3. Atque ideò ad obtinendum finem, & secretum Electionum, unde pendet quies & pax Conventuum, & mille inconvenientium remotio, opus esse, ut Schedulæ Eligentium à solis Confirmatoribus legantur.

Citatur nota n. 11. cap. 3. secundæ partis Statutorum apposita.

[Ex istis clavibus aliquibus ex Monachis committendis, nunquam debet inferri, quod ipsi possint applicari receptioni sive numerationi pecuniæ istius, nec in his rebus se immiscere ac si essent veluti Thesaurarij sive Arcarij, id enim à mente Statutorum nostrorũ prorsus alienum est, ut videri potest n. 8. cap. 14. & n. 37. cap. 23. sed tantùm id fit ut testes sint fidelitatis Officialium ad quos pertinet receptas facere, & de illis rationem reddere, juxta formam in Statutis præscriptam: quod maximè observandum est, ne occasio inde detur Monachis sensim decidendi ad sollicitudinem temporalium negotiorum domus, quæ eis tam strictè per Statuta interdicitur veluti Solitariorum paci & exercitiis opposita, solisque Officialibus injungitur.]

Quæ nota margini textus apposita est, sicut alia quæ in præcedenti citatione discussa est, contextam autem hac de re disputationem ita refutamus.

Primò. Est sola interpretatio juris Statutorum nostrorum, cujus interpretatio ex Statutis soli R. P. & Capitulo Generali competit, ibi enim habetur n. 8. cap. 1. 2. part. Stat. [Nullus etiam ipsa Statuta præsumat glossare vel interpretari sine speciali authoritate & licentia dicti Capituli, vel R. P. Cartusiæ, sed si quid dubietatis emerserit, seu quæstionis, dictum Capitulum, seu Reverendus Pater consuli poterit & debebit pro responsione obtinenda, si dubietas & quæstio talis fuerit, quæ responsum exegerit.] Quæ ergo suarum partium erant in hoc adimplevit R. Pater, & certè urgebat necessitas ad corrigendos abusus qui in domibus Hispaniæ irrepserant.

Secundò. Consulantur loca Statutorum quæ in ista nota citantur, & tunc apparebit si cum litera & spiritu Statutorum bene concordet.

Tertiò. Praxis totius Ordinis ex diametro pugnat contra talem usum in Hispania introductum.

Quartò. Experientia satis superque edocuit inversionem Cartusiani propositi sensim suboriri, ex usu Archiviariorum & Arcariorum proüt introductus erat in Hispania, qui eò devenerat ut Claustrales jam externis curis essent dediti, cellæque ac silentij leges quibus stat Cartusiensis Ordinis spiritus propè interitum essent, magisque temporalibus negotiis implicarentur Solitarij, quàm Officiales quibus per Statuta Ordinis id pensi præscribitur.

Quintò. Monachi quibus juxta Statutorum præscriptum debent claves Arcæ committi æque possunt scire quantùm pecuniarum immittatur in arcam, aut quantùm inde detrahatur, videndo illas coram se numerari, ac si ab ipsis propriâ manu numerarentur. Imo ipsa numeratio non scrupulosè prohibetur

Monachis quibus claves istæ commissæ sunt, nisi in quantùm conjuncta est etiam receptioni prout fiebat ab ipsis Arcariis Hispanis: nam Conversi istas pecunias ex redditibus domus provenientes inconsultò Priore & Officialibus quibus id muneris per Statuta præscribitur, ad istos Monachos Arcarios rectâ deferebant, quas de manibus Conversorum receptas numerabant & in Arcam inferebant. Sic Claustrales isti veluti campsores ad mensam sedebant occupati ad externa & ad nummos modô hucusque in Ordine Cartusiensi inauditô, & ita à Statu: is alieno, ut obstupescerent cæteri aliarum Provinciarum Ordinis Monachi, si hæc audirent. Inde quæ transgressiones, quæ inordinationes apud Claustrales nascerentur, si ista ulteriùs permissa fuissent progredi, vix potest exprimi; nam ab istis Arcariis Superiores & Officiales pendebant, & si quid eis negatum, aut minùs arridens fuisset actum, statim mille causas turbationum excitare illis in promptu erat vallatis auxilio Conversorum, qui ut se à jugo obedientiæ excuterent & liberiùs possent ad libitum in exterioribus agere, cum istis Arcariis optimè concordare studebant. Videre ergo erat solitariæ vitæ miseriam per istos abusus introductam.

Sextò. Consuetudo ab illis allegata ampliùs probat necessitatem remedij apponendi, nam quantò magis senescit, eò ampliùs vetustas erroris fit: sic enim à B. Cypriano nominatur prava consuetudo quæ senuit, ut refertur in Decreto distinct. 8. canone Consuetudo. Sed quid de similibus Consuetudinibus censendum sit, Statuta Ordinis satis declarant cap. 26. 2. part. ubi dicitur.[Ne ulla Consuetudo quantumvis longa, ullô unquam tempore contra præsentia Ordinis nostri Statuta, aut aliquam eorum partem prævaleat, declaramus quascunque Consuetudines hujusmodi, scilicet contrarias his Statutis, aut alicui eorum minimæ parti, nihil omninò habere roboris, vel authoritatis, sed meras esse corruptelas ad magis gravandum eorum conscientias, qui talibus utuntur. Quòd si quis contra Statuta prædicta Consuetudinem aliquam pertinaciter allegare, aut eâ se tueri, & illam potiùs quàm Statutum sequi & observare voluerit, tamdiu vino & cervisiâ careat, donec Statuto se conformaverit, & si ejus contumacia majorem pœnam exigat, majori pœna puniatur] &c, quæ ibi videri possunt.

In promptu esset hic afferre nubem citationum jurium ac sententiarum ex libris SS. Patrum desumptarum, sed ab his ex professo abstinemus, ut veritas, sola ratione & jure Ordinis in Statutis expresso, efficaciùs vincat, & adversariorum cuneum tot citationibus armatum, sola destruat. Ex his autem judicari potest tot allegata & responsa quibus scriptor sibimet argumentatur & concludit, esse tantum vestes quibus corpora inanimata conteguntur: ubi enim deficit veritas, in vanum discursus proferuntur, cùm rem, quæ non est, existentem non possint efficere. Quid autem de mente talia typis mandantium & divulgantium cum emendicatis Doctorum approbationibus censendum sit, prudens Lector judicet.

IN DISCURSU ULTIMO.

Citatur Ordinatio circa conversos, cujus tenor sequitur.

[Quia in quibuſdam Ordinis Domibus Converſorum converſatio omninò tepeſcit & à Satutorum obſervantia notabiliter deflectit: Statuimus & ordinamus, ne ulterior fiat Converſorum receptio in domibus ubi tertia pars Statutorum ad Converſos pertinens circa obſervantiam Regularem non plenè obſervatur; donec ſtrictè & laudabiliter Viſitatorum judicio ſervetur; ſed tantùm Donati ibi recipiantur; prohibentes Prioribus & cæteris Officialibus ſub pœna abſolutionis, ne aliquid contra hanc neceſſariam Ordinationem attentent. Converſi autem & Donati tùm in Eccleſia, tùm in Capitulo & Refectorio ſimul conveniant, & ſimul refectionem ſumant, ſervatô tantùm hôc ordine, ut Antiquiores Donatorum locum habeant poſt ultimos Converſos, ex utraque parte Eccleſiæ, Capituli, aut Refectorij. Si quis autem inter eos poſt hæc voluerit primus eſſe, fiat omnium ultimus & ſervus, juxta Jeſu-Chriſti Salvatoris noſtri ſententiam, cujus executionem Priori committimus & commendamus.]

Quidquid allegat contra iſtam Ordinationem Doctus Scriptor ruborem cum ſtupore in cordatis & piis lectoribus poterit excitare. Invehitur enim in Ordinem qui vult remedium apponere, ne pars illius in ruinam integram vergat. Perpendere debuiſſet Scriptor, medicorum eſſe, ſcire quo remedio indigeant ægroti quos tractant, non aliorum, qui nec ægrotos, nec illorum morbum agnoſcunt. In hac Ordinatione conditio apponitur, *Donec, &c.* Quæ omnem conquerendi cauſam adimit: ſed ſurdis loquimur, cùm etiam cauſas carpendi & mordendi aſſumant ex his quæ laude potiùs digna ſunt, & zelum vigoris Obſervantiæ Regularis reſtaurandæ & ſervandæ ſonant. Inde nobis latus pateret campus ad demonſtrandum quàm indiſcretè agant & abſurdè decipiantur, qui facilè fidem adhibent quibuſdam particularibus in præjudicium totius Ordinis Monaſtici: ſed potiùs pro crucifixoribus noſtris orare ſeligimus.

Citat aliam Ordinationem cujus tenor ſequitur.

[De cætero non recipiantur Converſi ad habitum, niſi priùs probati fuerint per quinquennium poſt factam Donationem ſub habitu Donatorum ſine ſpeciali licentia Capituli Generalis, aut R. Patris quam tamen rariùs & non ſine gravi cauſa concedendam eſſe cenſemus]

Ante 40. annos fuit facta iſta Ordinatio & mera ſuppoſitio eſt, quod verba iſta *Poſt factam Donationem* fuerint de novo addita; ſic enim jacent in Originali Libro Chartarum Capitularium, & ſic ubique fuerunt divulgata. Ergo Doctiſſimus reſpondens, qui inde compoſuit catenam diſputationum, vel malè informatus fuit à ſuis Conſultoribus, vel ex induſtria iſta verba fuerunt abraſa ut materia querimoniarum poſſet augeri, nulla habita ratione fidelitatis ſervandæ, & veritatis honorandæ. Quid autē obſtat quin illius Ordinationis, licèt paululum neglectæ, ſedula nunc executio urgeatur, cùm experientiâ docente perſuaſum ſit, illius obſervantiam eſſe medium optimum ad labantem Converſorum Statum erigendum. In iſta Ordinatione datur Diſpenſationi locus, unde conquerentium bilis ſaltem potuiſſet ſedari: ſed adhuc hic colophonem addunt Conſultationis Authores dum citant ipſa Statuta Cartuſiana cap. 17. de Novitiis Converſorum ubi habetur.

[Et ſi Prior judicaverit eum, qui vult fieri Converſus, ad talem Statum ap-

tum, & domui utilem futurum; nihilominus per annum, aut per aliud tempus, pro suo arbitrio & prudentia, illum in habitu seculari retinebit in domo & interim exercebit illum in vilioribus, & durioribus laboribus quibusque & obedientiis; & faciet eum interesse Divino Officio, atque illud persolvere sicut Conversi, ut assuescat. Qui si repertus fuerit humilis, obediens, castus, fidelis, devotus, & in operibus strenuus: tùm demum proponi poterit, & debebit Conventui Monachorum. Et si totus Conventus, vel major pars Monachorum eum recipiendum judicaverit, &c.] Quibus verbis prætendunt ipsam Ordinationem destrui, ac si Statutorum littera cum Ordinatione pugnaret; sed rubor in cordato lectore excitabitur dum viderit illos omisisse verba quæ sunt in fronte istius capitis quod citant, ibi enim habetur. [Hoc Capitulum debet intelligi salvâ Ordinatione quæ sub cap. 1. refertur, & debet specialiter applicari his, cum quibus ex gravissima causa dispensatum fuerit, ne quinquennium priùs peragant in Statu Donatorum] quæ si Scriptor referre voluisset, Lectori veritas statim patuisset, & totius discursus quem super ista verba componit affectatio & inutilitas innotuisset.

CONCLUSIO.

Ad judicium Doctorum qui istam Consultationem Statutis Ordinis adversantium approbarunt, meliùs nunc informatorum à male informatis appellandum esset, sed ab omnium cordatorum judicio speramus qui veritatem viderint hic nudè ex professo expositam, ne tot citationibus quæ doctrinæ umbram habent, & possunt levi labore ex indicibus Librorum etiam ab indoctis colligi & cumulari, interturbaretur, aut obnubilaretur, speramus inquam illos statim in corde suo dicturos: totam istam Consultationem esse scriptum scandalosum, & Professionis Monasticæ in istis Cartusianis suo Ordini rebellibus eversivum, pro quo tùm Respondens, tùm Consulentes debent pœnitentiam agere, si fugere velint ab ira ventura superni Judicis dicentis: qui vos spernit me spernit, & qui nec fallit nec fallitur, quem illorum misereri ex corde precamur. Bene ergo valeant & ad se revertantur. Sed ut evidentiùs pateat; quàm immeritò conqueratur Doctus casuum Responsor de immutato à R. P. Generali benigno agendi modo, quô olim Ordo Cartusiensis circa subditos utebatur, & quàm meritò quorundam Monachorum Aulæ Dei in rebellandi animo pertinacia, alienis istis suggestoribus imputandanda sit, placet hic referre Exemplar Epistolæ quam scripsit R. P. Generalis Patri Vicario, & aliis quibusdam suas tandem difficultates illi exponentibus.

Exemplar Epistolæ sive responsi dati à R. P. *Priore Cartusiæ* Venerabilibus *P. P. D. Stephano* Blasco Vicario *Domus Aulæ Dei & aliis quibusdam. Die* 28. *Ianuarij* 1683.

Venerabiles In Christo Patres.

Commovebuntur semper viscera mea super filiis meis, quos amanter suscipere semper ero paratus. Atque utinam citiùs ad me venissetis per vias in

Ordine tritas, in quibus si ambulassetis in præsenti causa, habitassetis in pace non interrupta. Gaudeo tamen de vestro accessu ad me, qui de vestro ad concordiam reditu, valde solicitus eram, & de vestro profectu spirituali, ingenti afficior cura. Ecce mitto vobis mea responsa, quæ si Doctoribus illis exhibeatis, qui nos inauditos condemnare non dubitarunt, spero quod meliora de nobis cogitare incipient, qui nunquam subditis Ordinis aliquid injungemus, quod non possint tutâ conscientiâ admittere, sed quæ retrò sunt obliti juxta consilium Apostoli ad perfectiora & priora extendamus nos, ad quod opulentum de Cœlo vobis apprecamur auxilium & omnia fausta.

Responsa mea ad dubia & quæstiones mihi propositas.

Circa Ordinationem Cupiditatis, &c.

Nunquam nobis venit in mentem impedire acceptationem liberam legatorum & aliorum quæ passivè nobis obveniunt, sed tantùm voluimus remedium apponere avaritiæ & inordinatæ cupiditati, veluti observantiæ Cartusianæ, & Spiritui Ordinis infensissimæ hosti, quâ tamen videmus cum ingenti dolore & nostri propositi notabili relaxatione plures Domos Ordinis laborare; ubi de nummis congerendis & novis agris cumulandis atque multis superfluis attentandis solicitudo vigere videtur in scandalum sæcularium, & omnium Deum timentium, imò ipsius Summi Pontificis qui mihi commendare dignatus est, ut remedium apponerem, quod & feci.

Circa modum autem Eleemosynas faciendi & superflua non congerendi, nihil physicè determinare intendimus, sed tantùm moraliter, & eo modo quô prudentia Christiana id patitur, & Statuta nostra variis locis satis indicant. Qui autem sedatô animo & collato textu istius Ordinationis cum aliis textibus Statutorum, istas difficultates inde natas considerabit, mirabitur, ni fallor, quomodo suboriri potuerint.

Ad argumenta breviter Respondeo; nullô modô convenire quæ ex Concilio Tridentino allegantur. Permittendo enim possessiones haberi ab his qui non habebant, non consequitur, quod debeant acquirere sine modo illi Monachi qui jam possessiones habebant, neque quod possint inde liberè spiritum & Regulas suæ Professionis invertere.

Jura citata non intendunt eximere Monachos ab observantia suæ Regulæ, nec ab obligatione voti Conversionis morum, quô ad perfectiora tendere tenentur.

Jura citata nullum obstaculum ponunt Vigilantiæ quam observare debent Generales Ordinum & Capitula Generalia, ut Eleemosynæ fiant juxta Ordinem Charitatis & Regulas suæ Professionis, &c.

Circa notam, A solis Confirmatoribus.

Libenter optatis vestris facere satis studeremus, nisi obstaret jus novum Concilij Tridentini. Ad id probandum jam misi V. P. Visitatori dissertatio-

nem à me compositam; sed insuper potestis consulere Doctorem Fagnanum in 2. pa. 1. Decretal. de Electione cap. Quia propter.

Circa Communicationem Privilegiorum.

Non possum satis mirari quô consilio, quâve de causa V. P. Visitator non promulgaverit vobis Bullam Pontificiam, à Summo Pontifice ante sex menses datam, & à me directam ad præfatum P. Visitatorem, ut ubique divulgaretur; ibi reperietis, unde allegatis vestris, respondeatur.

Circa Receptionem Conversorum & Renovationem Ordinationis Anni 1636.

Scitis Charissimi, nihil justius esse quàm unumquemque stare intra metas sui Officij, nec particulares subditos Ordinis velle se erigere in Judices & Directores sui Ordinis, ad quem gubernandum requiritur notitia Generalis eorum quæ in toto Ordine geruntur. Parco tamen vestro zelo, qui per bonum affectum quem habetis ad Conversos succenditur, & aliquam hujus facti rationem vobis exponere & reddere volo.

Nunquam nobis venit in mentem impedire ne quælibet Domus posset Conversos recipere, sed tantùm remedium voluimus apponere ruinæ Observantiæ Regularis circa Conversos, qui in plerisque locis, sic ad libitum vivere, nec Solitudinem, nec Silentium servare assueverunt, ac si annihilata esset Tertia Pars Statutorum nostrorum. Mens ergo nostra est, istos abusus, & tàm infensas corruptelas reparare, ita ut vel Conversos non habeamus, vel Conversi quos habebimus Cartusianè vivant. Quid unquam justius postulari aut ordinari potest? Videbimus ordinem ex hac parte corruentem & non sublevabimus?

Hâc etiam ratione renovata est Ordinatio anni 1636. quia velut unicum medium esse visa est ad Conversorum Statum bene erigendum & sustinendum: sed in hac Ordinatione datur dispensationi locus, quando alicujus optimi subjecti occasio se offeret. Spero quod ista pauca sufficere possint his qui corde voluerint coram Deo recogitare ad quid in Monasterium Cartusianum venerint, ad obediendum nempe & non ad imperandum, & obnixè à Spiritu Sancto postulaverint, ut det illis recta sapere & velle: quod meis precibus, pro omnibus mihi commissis assequi tentabo. Bene valete.

His acceptis Responsis, quibuscumque cordatis pervium erit illos debuisse resipiscere & quiescere, saltem circa quædam capita suarum querimoniarum, quarum causa plenè destruitur per ista Responsa; sed ex sequentibus apparebit quod nihil inde animæquiores effecti, aliud intentum servent in pectore, cum inter sua prolata gravamina omnia adhuc replicent, ac si surdis Responsa essent data, quod ex ipsis gravaminum propositionibus nuper factis patebit.

Sequuntur Propoſitiones gravaminum ab ipſis Monachis Aulæ Dei, Eminentiſſimo Cardinali Pio directorum quæ Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Cæſar-Auguſtanus communicavit Reverendo Patri per manus VV. PP. D. Antonij Gaſcon Prioris Domus Aulæ Dei, & D. Blaſij Bartholomæi Arnal Prioris Domus de Fontibus, Viſitatorum Provinciæ Cathaloniæ, quorum tenor hic de verbo ad verbum refertur, additis poſtillis ad ſingulos articulos brevia reſponſa pro parte Ordinis continentibus.

Poſtillæ, ſive brevia Reſponſa *ad prætenſa gravamina Monachorum Domus Aulę Dei in hoc Capitulo Generali ad examen adducta.*

1. AD primum. Latè reſpondetur in reſponſione ad articulos Conſultationis in quinto diſcurſu contentos.

2. Ad ſecundum. Meritò fuit ſuppreſſus numerus iſte 33. cap. 22. 2. Partis, quia redundabat. Quis enim dubitet Capitula Generalia Ordinum habere poteſtatem mittendi Monachos ad quaſcunque Domos ſui Ordinis ex juſta cauſa? Et ideo fuit abraſus, quia experientia compertum fuit, quoſdam Monachos Hiſpanos jã dudum inde accepiſſe occaſiones rebellandi & obedire nolendi ac ſi per iſtum numerum daretur facultas Monachis exigendi rationem à Capitulo Generali de ſuis factis & probationem juſtitiæ cauſæ quâ ipſum emiſſionis decretum fulcitur, quod omninò abſurdum eſt, imò ex ipſa gravaminis allegatione patet quæ ſit conſtitutio mentis allegantium.

Proponenſe algunos de los gravamenes que ſe hallan en los nuevos Eſtatutos que el Capitulo General de la Cartuxa mandò imprimir el año 1681.

1. PRimeramente, ſe diſpone que tres Eſcrutadores, que por Eſtatuto aſſiſten a las Elecciones, no vean, ni lean los votos de los Electores. Lo qual es contra la coſtumbre del Orden y contra el Concilio Lateranenſe.

2. Mas, ſe ha quitado de los Eſtatutos Antiguos, una diſpoſition en que ſe ordinava que el Capitulo General con cauſa pueda traſladar los Monges de unas Caſas a otras, y a hora los muda aunque no aya cauſa, ſiendo eſto contra el voto de Eſtabilidad, que hazen los Cartuxos y en perjuizio de ſus derechos, pues quedan privados de voz activa y paſſiva, aunque no ayan cometido crimen alguno, ſolo con ſer hueſpedes en otras Caſas, en las quales no hizieron ſu Profeſſion.

3. Mas, se prohibe y añade en dichos Estatutos que los Conventos no puedan en caso alguno apelar de los Visitadores o Commissarios nombrados por el Capitulo General, ni de sus Sententias, sino es conociendo de ello primero el Capitulo General, lo qual es contra costumbre y contra todo derecho y dispositiones de los Sumos Pontifices Clemente III. y Celestino III.

3. Ad tertium. Id ad novam Statutorum Editionem non pertinet, fuit semper in Ordine servatum, & pertinet ad gradus appellationis servandos etiam ex jure communi, & perperam hic citantur Bullæ Summorum Pontificum. Videantur Statuta n. 6. cap. 23. Secundæ Partis. Ibi apparebit etiam falsitas in allegatione.

4. Mas, se prohibe el apelar, y aun el escrivir a su Santidad y a las Congregationes de los Señores Cardenales en caso alguno excogitable, con pena de carcel, privation de Officios, y aun con privacion de las gracias obtenidas de la Sancta Sede Apostolica, lo qual â mas de ser contra todo derecho, es contra la Bulla in Cœna Domini y contra lo especialmente ordenado por Paulo V. que mandò corrigir dicho Estatuto, como lo estava advertido en la impression antigua, y en esta moderna se ha puesto en olvido el dicho Mandato de la Santidad de Paulo V.

4. Ad quartum. Mera hallucinatio est prout probatur & exponitur in responsione ad discursum tertium & quartum Consultationis, & miranda falsificatio reperitur in allegatione. Videantur Statuta n. 9. cap. 25. Secundæ Partis.

5. Mas, se dispone que los Priores eligidos legitimamente segun Derecho Canonico por sus Conventos, no pretendan tener derecho en los Prioratos, sino que antes bien el Reverendo Padre General los puede privar y quitar de dichos Officios por sola su voluntad y sin causa alguna.

5. Ad quintum. Id reperitur sic ordinatum in Statutis antiquis quæ à Sancta Sede Apostolica suam habent approbationem, & fuit semper in Ordine observatum. Et inde apparet Officia Priorum apud nos in simplici administratione consistere. *citatio autem est falsissima. videantur statuta cap. 2. num: 44:*

6. Mas, se prohibe que los MONGES no tengan Voto en las Juntas Convẽtuales, ni assistan en ellas hasta que tengan cinco años de Profession. Lo qual es contra la costumbre inmemorial del Orden.

6. Ad sextum. Ista expositio est suppositititia. Legantur Statuta Secunda Parte cap. 4. n. 1. & apparebit, id locum habere tantum in tractatibus non necessariis, ratio etiam ibidem refertur.

7. Mas, se dispone que se castiguen con pena de fugitivos los MONGES que se detubieren ultra de seis

7. Ad septimum. Sic semper fuit observatum in Ordine & in Statutis præscriptum n. 4. cap. 21. Secundæ

Partis, idque maximis de caufis, ne folitarij habitum vitæ folitariæ notabiliter corrumperent indulgendo pruritui difcurrendi. Experientia docuit quanti id fit momenti, & ex allegatione ifta apparet quales fint mens & intentio allegantium.

8. Ad octavum. Abunde refpondetur in refponfione ad Confultationem fub difcurfu tertio & quarto. Et falfa eft citatio quam afferunt. Videantur Statuta n. 9. cap. 25. Secundæ Partis.

9. Ad nonum. Eft mera fuppofitio. Conferantur Editiones ambæ Statutorum, & videbitur in fecunda Editione de qua tantopere conqueruntur, plura fuiffe fpecificata, ut per determinationem fpecificam, onus minueretur. Infuper Bulla S. P. Clementis VIII. fatis indicat quid poffint Capitula Generalia. Videantur Statuta n. 7. cap. 7. Secundæ Partis.

10. Ad decimum. Ifta allegatio malum animum probat, quia in nova Editione fubventum eft difficultatibus & inconvenientiis quæ cum noftro inftituto non concordabāt & ipfum pœnitentem fufpicioni exponebant, debebant enim juxta primam Editionem mitti pœnitentes ad unum ex Prioribus qui cafus Papales haberent, nunc verò per fimplex fcriptum à proprio, fi velint, Confeffario miffum, obtinent licentiam neceffariam à R. P. Videantur Statuta & ad invicem conferantur. Falfitatem etiam continet intolerabilem illorum citatio, videantur Statuta nn. 11. & 15. cap. 7. Secundæ Partis.

11. Ad undecimum. Hic feipfos depingunt adverfarij noftri, nam fe

horas en las Granjas o Lugares de la Religion, aunque hagan viajes con licencia legitima de fus Superiores. Lo qual es muy rigurofo e inobfervable por muchos accidentes que fe pueden ofrezer a un caminante.

8. Mas, fe prohibe a todos los Religiofos el obtener qualefquiera gracias de la Sede Apoftolica fin licencia del R. Padre General, declarandolas por fubrepticias, aunque fe concedan *ex motu proprio*, lo qual es contra todo derecho, y contra la Authoridad de la Sancta Sede Apoftolica.

9. Mas, fon tantos los peccados que de nuevo fe refervan que con los que ya lo eftauan, cafi non queda ya que poder refervar.

10. Mas, fe difpone en los nuevos Eftatutos, que las Gracias concedidas por los Sumos Pontifices a la Cartuxa, de que los Confeffores ordinarios puedan abfolver a los Religiofos, de todos los cafos *etiam Sedi Apoftolicę* refervados, en adelante no lo puedan hazer, fino es acudiendo a los Superiores que los refervaron, aun en los dias, de la Natividad de noftra Señora, y de fu Purificacion a cuya honra y veneracion concedieron tales gracias los Sumos Pontifices.

11. Mas, fe nos quita a los Cartuxos la communication de los Privileg

gios que la Santidad de Gregorio XV. *motu proprio* nos concediò, para consuelo de los MONGES, que como presos perpetuamente vivimos encarcelados, dexandonos tan affligidos, que no podemos dexar de llorar y pedir Misericordia a los pies de la benigna clemencia de su Santidad y de V. Eminencia.

incarceratos reputant & clamant plorantes & ejulantes. Unde quantum spiritualis & intimæ conversationis sint capaces, & ad secretum faciei Domini aspirent evidenter apparet. Consolationis medium deplorant in moderatione communicationis Privilegiorum deperditum. Quare? quia inde sumebant sibi argumenta ad libitum agendi contra Statuta Ordinis & contra spiritum suæ Professionis vivendi, applicando sibi omnia quæ quibuscunque Regularibus concessa erant absque ullo respectu ad suum vitæ solitariæ & Cartusianæ Statum. Fit eis magna causa lugendi, amputatio occasionis proximæ agendi ad libitum & à præscripto Statutorum suæ Professionis deviandi.

12. Mas, se nos prohibe que no podamos en adelante reçivir Frailes Conversos, sin el consentimiento del R. P. General, y de los Visitadores Ordinarios. Lo qual es contra la costumbre inmemorial del Orden, que disponia, pudieran los Conventos reçivir Frailes para la administracion de los bienes temporales, sin dependencia alguna de los Superiores y con solo el consentimiento de los Conventuales de cada Casa.

12. Ad duodecimum. Plura supposititia sunt in hoc articulo, prout apparebit ex responsis ad discursum ultimum Consultationis.

13. Mas, se prohibe que en adelante la Casas no puedan adquirir bienes *cujuscunque naturę sint*, sin el consentimiento del R. P. General, y que todas las Casas tengan obligation de entregar a dicho R. P. General todo lo que les sobra en cada un año, sin que intervenga en esto el consentimiento, ni aun la noticia de los Conventuales, sino solo el parezer de los Superiores. Lo qual â mas de ser contra el Concilio de Trento, y contra el Derecho Canonico, es en total ruina de las Casas, como larga-

13. Ad tertium decimum. Hic sole clarius elucet quàm obstinatè velint decertare pro deffendenda cupiditate acquirendi & possidendi. Jam id satis apparet ex responsione ad præambulum & specialem discursum Consultationis. Sed judicent Cordati Lectores quid censendum sit de Monachis Cartusianis quorum Domus habent jam bona ultra sufficientiam, quibus permittitur acceptare dona & legata, quarum Monachis ministrantur omnia necessaria abunde & super, secundum suum Statum, &

quibus insuper non aufertur ipsa libertas acquirendi quando justum & necessarium judicabitur. Nonne meritò arguendi sunt de nimia amicitia cum cupiditate, quam deserere debuerant sua & seculum deserendo?

14. Ad quartum decimum. Legantur Statuta & videbitur quantum à vero aberrent hic isti allegantes. Quoad Electiones, id pertinet ad antiquum usum Ordinis & etiam in jure Canonico fundatur. Quoad præscriptum non recipiendi Novitios in parvis Domibus ratio affertur in Ordinatione. Vide Statuta cap. 17. Secundæ Partis, & per se loquitur: Quomodo enim possent probari & formari ad omnia exercitia Ordinis Novitij, si in Domo ubi non possent plenè fieri propter paucitatem Monachorum, reciperentur. Suppositio est ista allegatio, quod prohibeatur Electio Priorum in Domibus Ordinis nisi adsint octo Monachi; prout patebit ex textu Statutorum n. 5. cap. 2. Secundæ Partis, ubi nihil omnino in hac parte mutatum esse perhibebitur. Inde amplius apparet mens allegantium qui plus curant de congerendis gravaminibus, quàm de veritate considerandа.

15. Ad quintum decimum. Abunde respondetur huic articulo, in responsione ad discursum ultimum Consultationis.

16. Ad sextum decimum. Refutantur hic allegata per responsionem ad discursum quintum Consultationis.

mente lo han probado y firmado gravissimos Doctores y Cathedraticos de las Universidades de España en varios escritos que sobre estos puntos se han echo.

14. Mas, se dispone que las Casas pequeñas que no llegan a tener ocho Monges utiles e hijos de ella, no puedan eligir Priores ni reçivir Monges, sino que a las tales las provea el R. P. General de Monges Estraños de otras Casas. De lo qual resulta la total destruccion de ellas, porque como se goviernan per hijos estraños y monges advenedizos, que ni las tienen amor, ni piensan durar en ellas, no cuidan, como se debe, de su hazienda, antes bien unos deshazenlo que otros hizieron, y al cabo dan con ellas en tierra y las dexan, y se estinguen como lo muestra la experiencia de algunas Casas que han perecido en la Religion. Por lo qual se devia remediar esto, y restituirlo al estado Antiguo, que ordenava pudiessen las Casas pequeñas eligir Priores y reçibir Monges, en teniendo cada Casa quatro Monges hijos proprios.

15. Mas, se dispone que no se puedan reçivir Frailes Conversos si primero no se hazen Donados, con donacion absoluta, y que en ella esten cinco años. Lo qual â mas de ser contra la costumbre inmemorial, es contra el Santo Concilio de Trento y contra la vocacion, pues les obliga ser Donados, no queriendo ser sino Frailes.

16. Mas, se dispone que los Arqueros que cuidan del dinero de los Conventos, no puedan contarlo, quando lo entran los Priores y Offi-

ciales en el Arca comun, ni tan poco quando lo ſacan. De lo qual reſultarian graviſſimos daños, y queda puerta abierta paraque ſe hagan muchas ſinrazones.

17. Otros muchos gravamenes ay dignos de repararſe, y algunos que tienen grande inconveniente en ponerlos por eſcrito, todos los quales no ſe pueden dezir ſin gaſtar mucho papel, y mucho menos defender ſe, ſi no van MONGES a Roma, por que como ſon tan intrinſecos, que incognitos a los que non ſon Cartuxos, ni los podran entender facilmente, ni reſponder a las razones que la parte adverſa opuſiere, ni menos remediarſe, como lo pide la graviſſima neceſidad y opreſion que padezemos. Por tanto ſuplicamos a V. Eminencia ſe apiade de noſotros, y pida ſe conceda licencia para ir MONGES a Roma, y no ſe niegue eſte conſuelo, que con tantas inſtancias, juſticia y razon pedimos.

17. Ad ſeptimum decimum. Hic evidenter apparet conſtitutio mentis & intentionis exponentium; reſervant enim ſibi arcana quædam quæ nolunt aperire, niſi Summo Pontifici; inſtant ad obtinendam deputationem ut poſſint Romam pergere; plura allegantes ad id obtinendum quæ reſponſa non merentur. Sic fecerunt in principio iſtius Rebellionis, nam nobis aperire renuerunt ſuum ſenſum, ut faciliùs & liberiùs debaccharentur in Curia Regia contra Ordinem. Idipſum etiam volunt exequi in Curia Romana ubi ſatis conjicientes ſua allegata fore repudianda ex defectu rationis & juſtitiæ, volunt ſuæ Tragediæ ſcenam hoc experimento claudere per commenta, per calumnias, per querimonias, per eaſdem lacrymas quas in ſuperioribus articulis commemorant, Ordinem & Superiores denigrando, diffamando, ut vel ſic poſſint ſuam inordinatam cupiditatem etiam in hac parte explere. Volunt per viam iſtam ſua vetera bella renovare de Prioribus Triennalibus, de prætenſo regimine tyrannico Ordinis, &c. & ſic ſi poſſent antiquum regimen Ordinis invertere, & omnia peſſumdare in Vitæ Solitariæ Statu, qui longè differt ab aliis.

Porro ex natura gravaminum quæ proferunt ſatis poteſt erui, quos habitus in ſua Profeſſione ſibi contraxerint, & quod appetant abſque jugo vivere, imo Ordinem, Statuta noſtra & Superiores ſuo ſenſui ſubjugare.

NOs Referendarij Capituli Generalis infra ſcripti, viſis variis Epiſtolis, MEMORIALIB9 ac aliis Inſtrumentis, quib9 MONACHI aliquot Cartuſiæ AulæDei querelas ſuas obtendunt gravaminaque cauſantur contra novam Statutorum noſtrorum Editionem anni 1681. peractam: in quibus conquerentium ſcriptis duo præcipuum tenent locum, nempe Conſultatio quædam Patri Abadiæ attributa, & expoſitio gravaminum ad ſedecim uſque productorum; præter quæ additur, ſupereſſe plura quæ aperturi ſint viva voce Romæ, quò profectionem meditantur. Viſis etiam Reſponſis ex parte Ordinis factis adverſus præfatorum gravaminum & Conſultationis argumenta, propriis item conſideratis Statutorum verbis, declarationibus & notis, per eadem reſponſa citatis: Litteris Sanctiſſimi P. Innocentij XI. datis 31. Julij anno 1682. in confirmationem Ordinationis appoſitæ numero 10. capituli ſeptimi Statutorum

Censemus id omne quod hac in re conquerentes Aulenses tùm in forma, seu agendi Ordine, tùm in rebus ipsis egerunt, intolerabile esse.

In agendi Ordine: si quam habuissent conquerendi causam, ab ipsis, cum modestia professionem decente, proponi debuerat R. Patri, aut Capitulo Generali. Ut enim sic pro Filiis Ordinis se gessissent; ita paternè acceptos illos, de errore commonuisset Ordo; liberasset ab inani solicitudine, atque in Officio confirmasset. Sed contra, neglectâ adeundi proprium judicem prudentiâ, Tribunalia extranea, imò & ipsum brachium Sæculare clamoribus suis lacessere non dubitaverunt. Unde ipsos liquet contra Statuta Ordinis ac jus commune egisse; graviter peccasse in reverentiam Ordini debitam, maxima scandala excitasse, ac probabiliter in Censuras incurrisse, quæ adversus distrahentes Regularem jurisdictionem sancitæ sunt.

Quod ad rem ipsam attinet: ex allatis gravaminibus sunt quæ sensum verborum ut carpant, in pejus detorquent: alia culpant quæ laudibus cumulari possent; nonnulla ut novitatem respiciunt recentis Editionis, quæ Editionem priorem, Ordinationes, & annorum jam multorum usus tantummodo confirmant aut explanant, aliqua etiam falsis citationibus verborum nituntur statuere, aut confusionem affectant juris Cartusiani cum communi jure, ubi dari locum distinctioni oportet.

Sive namque attendatur ad explicationes, quibus benignè prævertere tarditatem Aulensium, ad se consulendum dignatus est R.P. sive quæ postea data sunt responsa ad ipsorum conquerentium Epistolas, gravamina, & emendicatas Consultationes perpendatur; in iisdem & responsis & explicationibus vim omnino eversivam gravaminum prædictorum esse patet; ut pote optimè congruentem rectæ rationi, Statutorum verbis, priscis atque etiamnum vigentibus moribus Ordinis, stabilitatis Religiosæ studio, Decretis SS. Pontificum ac S. Concilij Tridentini canonibus: adeo ut mirari liceat, si nihilo seciùs obstinati remaneant Aulenses.

Quapropter Nobis videtur salvô meliori Capituli Generalis judiciô, indignas esse Aulensium querelas, ac ut vocant, gravamina, quæ amplius audiantur: satis superque fecisse responsa huc usque ipsis data; ut tandem conqueri desinant; neque ab ipsis responsis quicquam relaxandum, si susceptæ disciplinæ amor impedire velit, ne Statutorum littera & spiritus, mores usúsque antiqui Ordinis stabilitas, hisce temporibus miserè corruant, quod avertat Deus. Deliberatum in Cartusia, sedente Cap. Generali anno Domini 1683. die vero 20. Maij.

F. Joannes Fougereux, humilis Prior Cartusiæ Ligeti, Visitator Provinciæ Franciæ.

F. P. Lion, Prior Domus Caturci, Convisitator Provinciæ Aquitaniæ.

Fr. Blasius Bartholomæus Arnal, Prior Domus de Fontibus, Convisitator Provinciæ Cathaloniæ.

Referendarij Capituli Generalis.

Nos Frater Innocentius Prior Cartusiæ, ac totius Ordinis Cartusiensis Generalis Minister, cæterique Diffinitores Capituli Generalis ejusdem.

Audita Relatione Patrum Referendariorum rem de qua agitur voluimus

iterum in Diffinitorio examinare, agitare, & discutere; & collatis locis quæ citantur à Monachis Aulæ Dei cum prima & secunda Editione Statutorum, ac etiam cum praxi & observantia communi Ordinis quæ optima Statutorum interpres est; auditis etiam per seipsos in Diffinitorio VV. PP. D. Antonio Gascon, Priore Domus Aulæ Dei, Visitatore Provinciæ Cathaloniæ, primo Diffinitore hujus præsentis Capituli Generalis, & D. Blasio Arnal, Priore Domus de Fontibus, Convisitatore ejusdem Provinciæ & tertio Referendario dicti Capituli Generalis: Nihil reperimus quo possint in aliqua æquitate & ratione illorum scripta & allegata fundari, imò intolerabilia nobis visa sunt in Monachis Cartusianis qui in hoc exhibēt se à spiritu suæ professionis longe aberrare, & ideo impossibile esse ut illis in aliqua parte suorum allegatorum & prætensorum gravaminum consentiatur, absque notabili damno Cartusiensis propositi & totius Ordinis, maximè in petitione deputandi aliquos Monachos è gremio sui Conventus ad Curiam Romanam quod statui Solitariorum adversum, & in Ordine huc usque inauditum est, ac totius pacis Ordinis perturbativum esset. Quapropter omnimodis insistendum esse judicamus apud Summum Pontificem & Eminentissimos Cardinales ut illorum petitio rejiciatur, & rogandus est Illustrissimus & Reverendissimus Archiepiscopus Cæsar-Augustanus ut Ordinem quem scriptis diligere testatur, etiam per facta diligere exhibeat, Ordinem sinendo res suas secundum Statuta sua agere, istis Monachis manus adjutrices non porrigendo; quod ei ex parte Ordinis cum omni Reverentia exprimi per Patres Visitatores hic astantes jubemus. Sic deliberatum est & determinatum in Diffinitorio, & ab omnibus nobis subsignatum hac 20. Maij 1683.

F. Innocentius, Prior Cartusiæ.

F. Antonius Gascon, Prior Domus Aulæ Dei, Visitator Provinciæ Cathaloniæ.

F. Jo. Bap. Berger, Prior Dom9 Villænovæ, Visitator Provinciæ Provinciæ.

F. J. de Boyer, Prior Domus Castrensis, Visitator Provinciæ Aquitaniæ.

F. Paulus Castel, Prior Domus Montis Dei, Visitator Provinciæ Picardiæ.

F. Joannes Lotley, Prior Domus Coloniæ, Visitator Provinciæ Rheni.

F. Leo le Vasseur, Prior Domus Sancti Juliani, Convisitator Provinciæ Franciæ.

Fr. Nicolaus Retanus, Prior Cartusiæ Venetiarum, Convisitator Provinciæ Tuscicæ.

F. Bruno de Bernetz, Procurator Cartusiæ in Obedientia Melani.

F. Leo de Francqueville, Scriba R. P. & Capituli Generalis.